



## **Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...**

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Sacramentis in Genere, & duobus primis in specie

**Bosco, Jean a**

**Lovanii, 1665**

Concl. XIII. Publicè indignus, etiam publicè, occultè indignus non nisi occultè est repellendus à Sacramento, ad quod quilibet jus habet, puta à Sacramento Eucharistiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73340)



Magis incumbit Ministro impedire indignam susceptionem; hinc tamen solum sequitur, quod requiratur maior causa ut ministraretur indigno, quam ut ab indigno recipiatur. Sanè etsi nulla assignari posset ratio à priori hujus nostræ restrictionis, sufficientissimè ostendit exemplum Christi ministrantis Judæ indigno Sacramento Eucharistiæ, malitiam ab hoc actu esse separabilem. Hinc erit

Et quamquam magis incumbat ministro impedire indignam susceptionem, quam suscipienti indignam ministracionem; hinc tamen solum sequitur, quod requiratur maior causa ut ministraretur indigno, quam ut ab indigno recipiatur. Sanè etsi nulla assignari posset ratio à priori hujus nostræ restrictionis, sufficientissimè ostendit exemplum Christi ministrantis Judæ indigno Sacramento Eucharistiæ, malitiam ab hoc actu esse separabilem. Hinc erit

### CONCLUSIO XIII.

Publicè indignus, etiam publicè; occultè indignus non nisi occultè est repellendus à Sacramento, ad quod quilibet jus habet, puta à Sacramento Eucharistiæ.

202.

**I**Ta Rituale Romanum Tit. de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, ibi: *Fideles omnes ad sacram Communionem admittendi sunt, exceptis his, qui iusta ratione prohibentur. Arcendi autem sunt publicè indigni, quales sunt excommunicati, interdicti, manifesti, infames, ut meretrices, concubinarij, fornicatores, magi, sortilegi, blasphemii, & alij eius generis publici peccatores, nisi de eorum penitentia & emendatione constet, & publico scandalo prius satisfecerint. Ergo publicæ meretrici, de cujus conversione publicè non constat, nequit Eucharistiæ publicè ministrari.*

Publicæ meretrici, de cujus conversione publicè non constat, nequit Eucharistiæ publicè ministrari.

Occultos verò peccatores (prosequitur Rituale) si occultè petant, & non eos emendatos agnoverit, repellat, non autem si publicè petant, & sine scandalo ipsos praterire nequeat. Hæc est communis sententia, sed explicatu satis difficilis. Ut autem faciliùs & clariùs intelligatur,

203.

Omnes habent jus petendi Sacramenta Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, Penitentia & Extremæ Unctionis; petendi (inquam) à Pastore animarum suarum tamquam pascua sibi debita ex institutione Christi; cum hac tamen diveritate, quod Pastor possit & debeat magis exactè investigare dignitatem vel indignitatem petentis in Sacramento Penitentia; tum quia valor absolutionis pendet

à dispositione penitentis; tum quia in illo Sacramento est iudex, cujus est inquirere merita aut demerita causæ, ne proferat sententiam injustam.

Similiter ad ministrandum Baptismum adultis non sufficit, quod Pastor ignoret indispositionem petentis; sed tenetur positivè inquirere & examinare fidem, aliasque dispositiones illius, nisi fortè communiter ab omnibus haberetur dispositus. In Eucharistiæ, Confirmatione & Extremæ Unctione presumitur quis bonus, nisi constet contrarium. Excipe communionem primam parvulorum aut rudium, circa quam investiganda est à Parocho, sive Catechista, sive Confessorio sufficientia instructio. De Ordine & Matrimonio dicam conclusione sequenti.

Nota secundò ex Suario de Euch. disp. 67. sect. 1. in fine, præceptum negandi Sacramentum indigno non esse simpliciter negativum; cum enim sit præceptum naturale, nullo casu licitum esset Sacramentum dare peccatori; obligat quippe præceptum naturale negativum semper & pro semper; constat autem exemplo Christi aliquando esse licitum.

Reducendum igitur est ad affirmativum prudenter & fideliter dispensandi mysteria Dei: quod formaliter sumptum (ut sic dicam) semper servandum est, quotiescumque aliquod Sacramentum dispensatur. Et hinc fit ut, si commode possit, debeat indigno denegari, non tamen semper cum quocumque incommodo & sine ulla exceptione.

His prænotatis, haud equidem efficacius probatur secunda pars conclusionis, quæ sola habet difficultatem, quàm ex communi usu & praxi totius Ecclesiæ, quæ præcipue fundatur in factò Christi communicantis in ultima coena Judam Iscariotem, quem probè noverat esse in statu peccati mortalis.

Verum quidem est, non semper quocumque particulare factum Christi trahendum esse in consequentiam: attamen cum Christus ibi Eucharistiam instituerit, præcipiens Apostolis ut hoc facerent quod ipsum viderant fecisse, quis non prudenter judicet etiam distributionem hujus Sacramenti ibidem à se factam in exemplum proposuisse, quod tota postmodum Ecclesiæ imitaretur?

Profectò parum verosimile est Christum Ecclesiam suam à principio usque modò in tanto errore reliquisse, si verus error est, & non potiùs voluntas Christi Domini, qui Apostolos eorumque successores dispensatores

Ad ministrandum Baptismum non sufficit, quod pastor ignoret indispositionem petentis.

204. Preceptum negandi Sacramentum indigno non est simpliciter negativum. Ita Suarius.

205. Indigno non potest ministrari Sacramentum non probatur efficacius, quàm ex communi usu Ecclesiæ in factò Christo.



tores constituit suorum Sacramentorum, seu honorum communium Ecclesiae. Optime autem dispensator administrat res Domini sui, quando eas distribuit juxta ipsius voluntatem: & aliunde (ut dixi notabili secundo) hoc praecipuum non est aliud, quam prudenter & fideliter dispensandi mysteria Dei.

205. Addunt aliqui praecipuum Ecclesiae, quod habetur cap. 3. 6. q. 2. *Placuit, ut si quando Episcopus dicit aliquem sibi soli proprium crimen fuisse confessum, atque ille neget, non putet ad iniuriam suam Episcopus pertinere, quod illi soli non creditur. Et si scrupulo propria conscientiae se dicit neganti nolle communicare, quamvis excommunicato non communicaverit suis Episcopus, eidem Episcopo ab alijs non communicetur Episcopis &c.* Ita Concil. Africanum cap. 99. & 100. Idem dicitur cap. 2. eadem causa & quaestione.

Verum in his capitibus (praeterquam quod sint Concilij particularis) non agitur de administrando Sacramento, sed de communicatione debita excommunicatis, ad quam deneganda oportet excommunicationem esse publicam. Hinc tamen non recte inferitur, talem communicationem deberi, in qua Sacramento & Christo specialiter fit injuria, sed illa solum, quae salvo cuiusque jure fieri potest. Unde ut peccatori negetur Sacramentum, impertinens est excommunicatio aut non excommunicatio, dummodò certò constet de peccato commisso & non remisso.

207. Indubie Ecclesia non potuit nec voluit id praecipere, nisi aliunde constet de honestate illius actionis in istis circumstantijs, quam aliqui probant ex eo, quod Sacramentum institutum sit in utilitatem hominum; ergo inquirunt praeferenda est utilitas sume & conservatio ejus fame obligationi Religionis de dignè tractando Sacramento; sicut supra diximus posse peccatorem licite baptizare infantem moribundum, quia non censetur indignè ministrare Sacramentum ob instantem necessitatē parvuli periclitantis, in cujus remediū Baptismus institutus est à Christo.

Nec ex eo, quod Sacramentum institutum sit in utilitatem hominum.

Quamvis ergo majus sit Religionis praecipuum, quam Justitiae, & ideo videatur minor ratio habenda de fama proximi conservanda, quam de tractando indignè Sacramento: illa tamen regula hinc non habet locum, quia reverè non concurrunt duo praecipua, sed unum solum de non infamando proximo: praecipuum quippe Religionis non est negandi Sacramentum indigno, sed solum non dandi indigno absque justa necessitate qualis intervenit in hoc casu. Hinc illi.

208. Sed hoc est quod quaeritur, videlicet an

hinc possit intervenire justa necessitas, & antalis sit infamia proximi. Unde melius dixissent, praecipuum quidem Religionis majus esse, quia Religio est perfectior & nobilior virtus; obligationem tamen justitiae quandoque praeponderare, puta in casu communiter recepto, quando habens votum castitatis corrumpit virginem ignaram voti sub spe Matrimonij; tenetur enim eam ducere ex virtute Justitiae; non obstante priori obligatione ex Religione. Et ratio suo loco redditur: quia materia obnoxia obligationi Justitiae est incapax obligationis voti sibi repugnantis; quia Deus non vult sibi offerri de alienis bonis, nec vult colicum injuria proximi.

An obligatio Justitiae aliquando praeponderet praecipuo Religio- nis?

Sed haec quoque ratio non modicam patitur difficultatem (ut suo loco patebit) ubi enim im revelatum est Deum cedere juri suo jam acquisito per votum, propter damnum proximo per injuriam à vovente illatum? Numquid qui sponsalia contraxit cum Catharina, liberatur ab obligatione sua, quia postea Elisabetham corrumpit sub spe Matrimonij? Quis asserat? An forte Deus minus jus acquisivit ex promissione sibi facta sub conditione sanitatis conferendae, eam jam restituta, quam prima sponsa ex simplicibus sponsalibus? Unde ergo constat cedere juri suo?

An Deus cedat suo juri acquisito per votum, propter damnum à vovente tertio illatum?

Cum igitur in multis casibus (unus sit, ad evitandum damnum in bonis temporalibus) liceat revelare peccatum proximi; & cum debeam revelare, si aliquis petat hostiam sacram ut pedibus eam conculcet; quid obstat quò minus possim & debeam proximum infamare ad praevendam injuriam & irreverentiam quae fit Sacramento, & Deo per indignam Sacramenti susceptionem?

209.

Respondent: quia Deus cedit juri suo, Sed unde hoc constat? Ex ejus (inquiunt) facto. Bene, optimè. An igitur qui hodie cedit juri suo quod habet ad proprium honorem, volens colaphis caedi, etiam crastinà die impunè caeditur?

An rectè colligatur ex facto Christi, ipsum cessisse absolventi suo juri?

Deinde interrogo: Judas sumendo indignè Eucharistiam, nullam irrogavit injuriam Christo & ejus Sacramento? Quomodo ergo peccavit? Si peccavit (de quo nemo dubitare potest) quomodo Christus cessit juri suo?

Respondeo: cessit juri suo (si ita loqui placeat) non quod habebat, ne Judas in statu peccati mortalis Eucharistiam susceperet; nec enim Christus voluit aut invitavit Judam, ut acciperet in malo statu; sed ut dignè se disponeret, sicuti per gratiam Dei poterat, & sic eaderet de

B b isto



isto pane & de calice biberet. Quo ergo jure cessit? Illo utique, quod habebat ne minister Judæ indigno Sacramentum distribueret; nam hoc Christus volens fecit. Facto ergo suo ostendit ministrum in aliquo casu sine irreverentia posse Sacramentum indigno ministrare.

210. Equidem licere Sacramentum tradere ad conculcandum aut conspuendum, nullo suo exemplo Christus demonstravit. Rationem disparitatis dat Lugo disp. 8. num. 179. quia conculcatio; & similes actiones sunt inhonorationes positivæ, adeoque cum infamia etiam injusti aggressoris debent impediri, non minus quam injustum damnum proximi in bonis vitæ, famæ aut fortunæ: indigna verò sumptio solum est irreverentia negativa, sive non exhibitio omnis cultus debiti, sicut collocatio sacræ hostiæ in capsula chartacea, vel in corporali sordido.

Et sicut magna est differentia in materia justitiæ inter eum, qui non solvit, quod debet; & eum, qui positivè aufert vel vult auferre, quod habeo: primum siquidem nequeo privatâ auctoritate per vim compellere ad solutionem; secundum possum vi compellere, etiam occidendo; si opus fuerit: ita quoque in casu præsentis teneor impedire, etiam cum infamia invaloris, ne dicam ejus occisione, positivam contumeliam sive ablationem honoris divini; secus quamcumque inhonorationem, sive non redditionem cultus debiti, quæ quodammodo reperitur in omni peccato mortali; quippe contemptus aliquis est, virtualis saltem, transgredi legem in conspectu legislatoris.

Porro læsio honoris divini, quæ fit per indignam susceptionem Eucharistiæ aut alterius Sacramenti, in eo solum videtur consistere, quod aliquis peccet peccato sacrilegij majori vel minori pro dignitate rei sacræ, quam indebitè tractat. Quis autem dicat licitum esse proximum infamare, ut quodcumque ejus peccatum mortale, etiam sacrilegij, impediatur? Nam si possum, cur non teneor? quæ certè obligatio esset intolerabilis.

Aliud fortassis esset (inquit Emin. num. 179. in fine) si quisquam vellet indignè Eucharistiæ susceptionem contempnere: tunc enim jam videretur similis ei, qui acciperet ad conculcandum; atque ideo posset fortasse repelli, etiam cum infamia.

Et verò existimas, quia erit extra positum discrepantia, quam assignat D. Bo-

naventura 4. dist. 9. art. 2. q. 4.? Sanè arbitror eam rei elucidandæ apprime fore congruam. Sed quæ ista? Ad illud (inquit) quod objicitur de medicina (quam medicus sine mortali non potest dare ægrotis, si sciat ipsum de ea moriturum) & de illo qui projicit (corpus Domini in latrinam) patet responsio: quia ipse (ministrans indigno) non dat (sicuti in casibus objectis) sed reddit ut alienum. Dicendum autem (secundum eundem Seraphicum Doctorem ibidem) quod Dominus prohibet ut non dent, id est, non offerant, non quin reddant. Et ita dicitur Matth. 7. v. 6. Nolite dare sanctum canibus, non autem: nolite reddere.

Si dicas: Canes; id est peccatores, non habent jus ad Sacramentum. Respondeo cum S. Bonav. supra: Ad illud quod objicitur de occulto (qui repellit debet, quando occultè petit) dicendum quod peccator indignus est, & in veritate non habet jus; habet tamen jus secundum iudicium Ecclesiæ; quia non constat de peccato. Et ideo quando operatur secundum veritatem & iudicium suum, non tenetur dare; quando secundum iudicium Ecclesiæ, tenetur.

Ex quo colligo responsonem ad regulam juris cap. Qui scandalizaverit de Regulis Juris: Vitius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur. Nam, præterquam quod jus loquatur de veritate bonæ vitæ, veritas in præsentis non deferitur; quia in foro Ecclesiæ, in quo petit, dignus est.

Planè conveniens erat Christum ita instituire Sacramentum; utique signum pacis in factis aut fieri, ut ex ejus administratione non esset nata frequenter sequi turbatio tam ex parte suscipientium, quam ministrorum, & consequenter ipsius Sacramenti, quæ indubiè sequeretur, si occultus peccator publicè posset repelli: facile quippe peccator infamaretur quos vellent, fingendo peccatum, ubi non esset; & è contrario fideles sæpe formidare & timere possent ne à ministris infamarentur, & ex illo metu, quamvis fortè non satis aliquando fundatos, susceptionem Sacramenti cum præjudicio salutis amittere.

Ceterùm priusquam respondeam ad principalem objectionem; Notò publicum esse peccatorem, cui sine nova infamia potest Sacramentum negari. Talis est, cujus delictum absolute est publicum evidentiâ juris, id est, per sententiam; vel facti, hoc est, quando ita multis & talibus notum est, ut nullâ tergiversatione possit cæleri. Docet autem Suarez de Euch. disp. 67. sec. 5. conclus. 3. in his circumstantiis debere negari Sacramentum, etiam si peccatum non sit notum illis, in quorum præsentia petitur.

Ratio

Differentia inter conculcationem & indignam sumptionem Eucharistiæ.  
Lugo.

In quo consistat læsio honoris divini, quæ fit per indignam susceptionem Eucharistiæ.

Quid dicendum, si quis vellet indignè Eucharistiæ susceptionem contempnere ad posse videtur inhonorationem.  
Lugo.

211.  
S. Bonaventura.

Idem  
Quæritur  
peccator  
habet jus  
ad Eucharistiæ  
sumptionem.

Responsio  
ad regulam  
juris: Vitius  
scandalum  
nasci potest.

212.  
Quis suspensus  
bicus peccator.

Sententia  
Suarez de  
negando  
Sacramentum  
pro publico  
peccato.



Ratio ejus est: quia talis absolute in omni loco, etiam ubi crimen ejus nondum est publicatum, amittit jus ad famam suam, consequenter jus petendi Sacramentum cum obligatione ad dandum: neque verum est eum per rejectionem incurrere novam infamiam; sed cum jam publice infamis sit, sicut prius delictum sive notitia ejus extenditur ad aliquos, qui per accidens illud ignorabant, ita etiam prior infamia.

Et quamvis per se loquendo esset contra charitatem in loco remoto delictum publicare; non tamen quando periclitatur reverentia debita Sacramento, aut alia justa adest ratio. Sibi ergo imputare debet, qui inique se ingerit, & est causa gravissimi Sacrilegij, si etiam facto perdat famam, ubi jure eam amiserat; præsertim quando morale periculum est, ut paulò post adstantes deveniant in notitiam delicti, quod nunc ignorant. Quòd si locus iste adeò remotus est, ut moraliter loquendo nunquam delictum inibi sit publicandum, non solum contra charitatem, sed etiam contra justitiam erit (ut plurimi volunt) ejusmodi delictum reterege; & per consequens repelli non posset, si publice petat Sacramentum.

213.  
Sententiam Suarez sequitur Dicastillo qui & docent negari posse Sacramentum, etiam si delictum absolute non sit publicum, modo illi norint, eorum quibus Sacramentum petitur.

Hanc sententiam sequitur Dicastillo disp. 3. n. 287. Qui ibidem n. sequenti cum Suario supra conclus. 1. asserit, negari posse Sacramentum, etiam si delictum absolute non sit publicum, modo illi norint, eorum quibus Sacramentum petitur. Ratio patet ex dictis; quia ibi ex denegatione nulla sequitur infamia: si tamen aliqui adsint qui ignorent, non erit deneganda; quia delictum absolute est occultum.

Quòd limitat Dicastillo num. 289. nisi unus aut alter solum adesset vir prudens & timorata conscientia; qui rem occultè servabit; tunc quippe videtur præponderare irreverentia inferenda Sacramento, conservationi famæ. Nam in probabili latè sententiâ revelatio peccati in tali casu non est notabilis jactura famæ; ita ut uni aut alteri prudenti & secreto possint revelari defectus sine mortali in genere detractionis, etiam absque rationabili causa. Cur ergo non liceat ad evitandam irreverentiam Sacramenti, maxime si inde prudenter speretur respicientia peccatoris?

Quis sit occultus peccator.

Ex his facile deducitur quis sit occultus peccator, videlicet cui non potest negari Sacramentum sine notabili infamia, quæ sufficiat ad mortale peccatum. Similiter quid sit publice vel occultè petere Sacramentum, videlicet quando sic petitur, ut possit vel non possit negari, quod peti-

tur, absque gravi jactura famæ petentis.

Venio ad objectionem, quæ in multis alijs materijs moralibus occurrit, estque istiusmodi: Nullo casu licet cooperari alterius peccato; atqui ministrans indigno cooperatur ejus peccato; ergo &c.

214.  
Obiectio principalis.

Respondeo distinguendo majorem: Non licet cooperari formaliter sive positivè, concedo; materialiter sive potius permittivè, nego. Similiter respondeo ad minorem: ministrans cooperatur formaliter peccato indignè suscipientis, nego; materialiter, sive potius permittit peccatum, concedo. Quis autem ignorat permissionem peccati frequenter nullum esse peccatum? longior sim, si velim hinc omnes casus referre & explicare, cum omnium eadem sit ratio.

Solutio.

Sed contra: hæc responsio petit principium; nam hoc est quod inquiritur, quare nimirum actio ministrantis non sit proxima & formalis cooperatio ad indignam sumptionem, quæ hinc & nunc sine illa actione non poneretur; & æqualiter ex illa sequitur, sive extet rationabilis causa illam exercendi, sive non.

215.  
Cur actio ministrantis non sit proxima & formalis cooperatio ad indignam sumptionem?

Respondeo, concursus physicus semper esse eundem; attamen morale diversum. Etenim existente justâ causâ non censetur malitia indignæ sumptionis, quæ per accidens conjungitur ministerio sacramentali per se bono & laudabili, moraliter interpretativè voluntaria; secus, quando sine ullo incommodo possum illam impedire. Quin etiam tunc, quando scilicet omnis abest justâ causa, physicè & directè est voluntaria indebita administratio Sacramenti; quoniam rationabiliter Dominus exigit à dispensatore, ne sine causâ bona sua distribuat indignis.

Contra: hinc rursus supponitur quod est probandum, videlicet administrationem Sacramenti posse esse debitam, quandoquidem sit cooperatio proxima ad peccatum.

216.

Respondeo ergo iterum, ministerium Sacramenti non esse cooperationem ad actionem, quæ hinc & nunc absque peccato suscipientis fieri non potest, sed ipsum est actio bona, vel distincta, ut in Eucharistia; vel eadem, ut in cæteris Sacramentis, quæ inficitur à sola mala voluntate recipientis, cujus minister neque est causa physica (ut patet) neque moralis suadendo, petendo, imperando aut non impediendo sine justâ causa; imò nec potest impedire, nisi fortè continuationem ejus. Unde vel tota malitia est posita ante actionem Sacerdotis, vel si aliqua restat ponenda, v. g. continuatio malæ voluntatis, sive in E. cha. d. glutini,

Ministerium Sacramenti est actio bona.



hostiæ, tota quanta est pendet à libera voluntate suscipientis, qui potest & debet conteri de peccato commisso, ne indignè fumendo reatum suum sacrilegij continuet.

217. Tam rustici, qui in bello injusto avehunt spolia ex metu mortis, quam mancipia Christiana, quæ in navibus Turcarum remigant, exultant à peccato cooperationis.

Simile sit in rusticis, qui in bello injusto avehunt spolia ex metu mortis, & in mancipijs Christianis, quæ in navibus Turcarum remigant. Tam rusticos, quam mancipia communis sententia excusat à peccato cooperationis: siquidem circumstantia mortis facit, ut actio indifferens, quæ aliàs esset moralis & formalis cooperatio, solum sit materialis, sive permissio injusti damni; ita ut opus illud non sit malum prout procedit à voluntate ejus qui coactè agit, sed tantum ut subest directioni cogentis & utentis eo ad malum finem. Si enim fur non tenetur rem furtivam cum gravi suo incommodo restituere; quidni innocens licitè faciat actionem indifferentem, ex qua prævidet securum damnum proximi, si non potest eam omittre sine periculo mortis?

Non licent actiones intrinsecè malæ, etiam ad evadendam mortem.

Dico signanter actionem indifferentem; quia sicut fornicatio ob intrinsecam suam malitiam non licet, etiam ad evadendam mortem; sic nec aliæ actiones intrinsecè malæ contra præceptum naturale negativum. Ideoque illicitum est mancipijs Christianis dirigere naves, explodere tormenta &c. similiter rusticis perfringere aut incendere domum &c. quia hæc intrinsecè mala sunt, utpote directæ & propinqua oppugnatio ac læsio innocentis.

Ex quo patet doctrinam hanc non aperire viam cuiquam cooperationi ad actum pravum, ut putat Suarez de Censuris disp. 21. sect. 2. n. 60. ubi tenet sententiam contrariam. Pro qua

218. Objectio 1.

Obijetur Primò: Ergo etiam erit licitum deferre ignem, quo alij volunt domum alicujus incendere. Similiter ædificare templum idolo, aut conficere ipsum idolum.

Responsio.

Respondeo concedendo totum, nisi talis ædificatio aut confectio sit implicita protestatio falsæ fidei, quæ est intrinsecè mala, ut docetur in materia de Fide.

219. Objectio 2. Responsio.

Obijetur Secundò: Ergo datur bellum utrimque justum pro eadem re. Respondeo negando consequentiam; quia remiges illi non pugnant nisi materialiter, hoc est, remigando defendunt vitam suam: pugna namque formalis dicit actionem directè & immediatè damnificativam sive oppugnativam, qualis non est illa remigatio, quæ nullum infert damnum, nisi quatenus subest voluntati ejus, qui

navem dirigit aut tormenta explodit.

Petes: quo ergo jure illi, qui oppugnantur, tales occidant? Respondeo jure defendendi propriam vitam, vel repetendi res sibi debitas, aut vindicandi injuriam illatam, ad quæ per accidens se habet occisio illorum remigum. Quemadmodum justè oppugnans civitatem potest evertere turrim cum morte innocentium inclusorum; & sicut pueri vel amentes possunt occidi, si aliquem invadant per se vel alium, qui illis utitur ad sui protectionem, etiam si non peccent formaliter.

Quamquam enim tales remiges per se non pugnent, sunt tamen quasi instrumentum, saltem remotum, formaliter pugnantis; adeoque sicuti hic licitè occiditur jure belli, ita & illud eodem jure licet destruere.

Obijetur tertio: Qui ex officio tenetur bona civium defendere ab injurijs aliorum, peccat si metu mortis apponat scalas domui alterius, ut sic fur possit ascendere & furari; ergo &c.

Respondeo admisso antecedente (si specialiter se obligavit ad illa damna impedienda cum periculo vitæ) negando consequentiam. Differentiam assigno, quod actio illa, quæ de se est indifferens, directè sit contra obligationem, non communem, sed positivè superinductam, eo præcisè sine, ut tali casu non esset licita, quæ aliàs de se liceret.

Equidem potuit homo juri suo renuntiare; quo facto, ex jure naturali tenetur subire tale periculum. Pariformiter si ex dicta remigatione, aut alia simili actione, sequeretur maximum detrimentum Reipub. Christianæ sive boni communis, foret indubiè illicita, cum jure naturali pro bono communi unusquisque debeat vitam suam periculo exponere, quando spes assulget damni avertendi; quæ, quia rara est, honestas hujusmodi actionis regulariter obtinet. Sed hic nondum finis: nam tutus contra Conclusionem

Obijetur: Petenti gladium apud me depositum, ut se vel alterum occidat, non possum eum reddere; ergo &c. Respondeo negando antecedens quando ex non redditione sequeretur gravissimum incommodum, cum quo non tencor vitam proximi conservare.

Deinde disparitas est, quod ex negatione gladij speretur major utilitas, quam in casu nostro ex negatione Sacramenti; raro enim tales emendabuntur, sed potius exasperabuntur, & plura adhuc committent peccata. Fatetur tamen Lugo supra n. 184. si ne-

220. Quo jure occidantur remiges.

221. Objectio 2.

Responsio.

222. Quando possit reddi gladius apud aliquem depositus, ut petens se vel alium occidat.



Senit Lu-  
go, si neces-  
saria foret  
infamia  
suscipientis  
ad evitan-  
dam ejus  
damnatio-  
nem, posse  
& debere  
infamari.

223.  
Non sequi-  
tur tamen  
ad evitan-  
dam proxi-  
mi damna-  
tionem, posse  
aliquem ip-  
sum occide-  
re.

si necessaria esset infamia suscipientis ad impediendam damnationem ejus aeternam; me posse & debere eum infamare.

Si arguas: Non possum alicui auferre vitam, abscindere membrum, auferre bona temporalia, ut vitam damnationem ejus aeternam; ergo nec auferre famam. Respondet negando Consequentiam; quia qui auferit famam in nostro casu, non habet se, sicut qui auferit positivè pecunias; sed sicut qui pecunias apud se depositas non custodit: habemus siquidem delicta aliorum occulta, quasi deposita in nostra scientia; quæ custodire debemus, ne proximus amittat suam famam: depositarius autem cum gravi detrimento non debet servare depositum, sed potest illud à se projicere. Sic possumus aliquando delictum occultum proximi manifestare ad vitandum detrimentum, v. g. ad vitanda gravissima tormenta, quibus ab eo extorquemur; quia non obligamur ad custodiendum depositum cum tanto detrimento. Non ergo est aliquis ita plene dominus suæ famæ, sicut suæ pecuniæ; famam enim solum habet apud alios, qui sunt quasi custodes illius, atque adeo possunt ex gravi causa eam non servare: pecuniam verò habet apud se, quam nemo ab ipso invito positivè potest auferre. Hæc ille.

Cæteroa fama est bona existimatio multorum de vita & moribus alterius; hæc autem censetur moraliter apud alterum existere, quousque nihil fecit, ex quo justè possit generari mala existimatio. Unde definiunt famam Jurisperiti: *Fama est illius dignitatis status, legibus & moribus comprobatus.* l. Cognitionem §. ff. de Extraord. cog. Quam proinde nemo ab ipso rationabiliter invito positivè potest auferre; quemadmodum nemo ab ipso rationabiliter invito positivè potest auferre pecuniam.

224.  
Resp. S. Bonavent.

Aliter, & brevius respondet D. Bonavent. ad hanc objectionem: *Ad illud (inquit) quod obijcitur, quod non est reddendus gladius furioso, dicendum quod in iudicio reneretur reddere, si non constaret eum esse furiosum; & quia hic peccator in iudicio & facie Ecclesie petit, & non apparet suum peccatum, ideo debet ei dare.* Ita Doctor Seraphicus.

225.  
Obiectio.

Obijcitur ultimò: Aliter potest Sacerdos vitare scandalum sive infamiam, ut si pro hostia consecrata daret panem benedictum: similiter si in alijs Sacramentis proferat formam sine intentione Sacramenti. Respondet S. Bonavent. *Ultimum patet: quia si deberet dare hostiam, nihilominus tamen peccaret ille, & ipse simulando, nisi fortassis ipse peccator hostiam peteret ad vitandam*

infamiam, & dominici corporis reverentiam.

Hæc responsio quoad postremam partem (quæ tamen non est assertiva, sed elumtaxat dubitativa, ut patet ex *ly fortassis*) à plerisque rejicitur (etiam illis, qui admittunt alia Sacramenta posse simulari ad evadendum grave incommodum.) idque non sine ratione, ut patebit ex conclusione sequenti; quæ talis est:

CONCLUSIO XIV.

Ad evadendam propriam mortem illicitè das hostiam non consecratam pro consecrata, licitè contra his Matrimonium sine intentione conficiendi Sacramentum.

Prima pars communiter probatur: quia datur occasio populo idololatriæ; esto Sacerdos ostendat adorandam hostiam consecratam, simul cum ea habens aliam non consecratam à tergo, quam solum det peccatori, conficio prius & consentienti. Primò, quia vix unquam potest fieri tale pactum cum peccatore. Secundò, quia moraliter impossibile est, quòd aliquis adstantium non adoret quando publicè datur, etiamsi illam non videat. Accedit, quòd ipsemet actus sumendi hostiam reverenter sit actus religiosus, & cultus quidam æternus, qui non solet nec debet exhiberi nisi veræ Eucharistiæ. Similiter & administratio.

226.  
Prima ratio  
Conclusio-  
nis, quia da-  
retur popu-  
lo occasio  
idololatriæ;

Non placet  
Vasquesio;

Hæc ratio displicet Vasquesio 3. parte disp. 209. cap. 4. n. 41. Non (inquit) quia Sacramentum debeat adorari sub conditione (hoc enim falsum est) sed quia sine periculo idololatriæ adorari potest imago Christi in cruce pendentis, etiamsi re ipsa dæmon ibi lateat, & operà solum ipsius illa appareat: quia idololatria non committitur sine expressa intentione adorandi pro Deo id, quod reverè Deus non est. Ac proinde qui adoraret hostiam non consecratam, apprehendens cogitatione suâ ibi Christum, idololatriam non committeret. Ita Vasq.

Quam doctrinam Card. Lugo de Incarnatione disp. 37. sect. 4. n. 44. vocat difficilem; quia eâ positâ sequitur ferè nunquam dari idololatriam; ipsi enim Ethnici ideo adorant Jovem aut alium Deum, quia

227.  
Cujus do-  
ctrina appa-  
ret difficilis  
Lugoni;  
quia eâ po-  
sitâ vix un-  
quâ daretur  
idololatria.